

ILLVSTRISSIMO AC INTEGERRIMO VIRO

LVDOVICO GIRARD,

COMITI CONSISTORIANO; SVMMARVM REGIARVM RATIONALI AC CENSORI CATHOLICO, DOMINO DE LA BRICHE.

Ἀθανασίας NICOLAVS COLLETET.

N te non peccaui (Vir Amplissime) *quòd ſapientiæ cauſas in humanis animis Medica ſpeculatione diſquirens, te inſpexi. Naturæ tuæ lineamenta ſequutus, hanc mentis ſapientiſsimæ ac morum laudandorum picturam adumbraui: ſi per otium poſt tabellam ſedere tibi liceat, & varia mecum iudicia Medicorum expendere, intelliges quàm vera de te ſenſerim: Vultu etiam & illa ſubtilis ingenij acie telorum ingruentium aciem vt Viſinus ille retundes; Non poteram fœliciori auſpicio hanc ſapientiæ pugnam capeſſere, nec in alio ſolo, cœloue, quàm tuo, qui laudabili temperie fœlici ad ſapientiam ſorte natus oſtendis aeris tenuitate defæcatos ſenſus, & penè ſupra naturam ingenii dotes produci; alijs etiam nominibus hos ingenij mei ſenſus debui; ſiue enim otij ratio reddenda fuit regiarum rationum cognitori, ſiue laboris, exemplo prouocanti, ſiue amoris, huic maximè reddo, qui delegit quem diligeret.*



N te non peccaui (Vir Amplissime) *quòd sapientiæ causas in humanis animis Medica speculatione disquirens, te inspexi. Naturæ tuæ lineamenta sequutus, hanc mentis sapientissimæ ac morum laudandorum picturam adumbraui: si per otium post tabellam sedere tibi liceat, & varia mecum iudicia Medicorum expendere, intelliges quàm vera de te senserim: Vultu etiam & illa subtilis ingenij acie telorum ingruentium aciem vt Visinus ille retundes; Non poteram fœliciori auspicio hanc sapientiæ pugnam capessere, nec in alio solo, cœloue, quàm tuo, qui laudabili temperie fœlici ad sapientiam sorte natus ostendis aeris tenuitate defæcatos sensus, & penè supra naturam ingenii dotes produci; alijs etiam nominibus hos ingenij mei sensus debui; siue enim otij ratio reddenda fuit regiarum rationum cognitori, siue laboris, exemplo prouocanti, siue amoris, huic maximè reddo, qui delegit quem diligeret.*

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VIII. FEBRVARII,

M. MATHVRINO DENYAV, Doctore Medico, Moderatore.

810

An splendor siccus animus sapientissimus?



OMINIS anima ἀθάνατος, ἄφθαρτος, ἀδιαίρετος, actus est corporis organici potestate vitam habentis, sola formarum, quarum triada tantùm in viuentibus agnoscimus, non ecstasi, sed morte à corpore diuidua, à quo vegetans, & sentiens ἀχώριστοι, principium est operationum φυσικῶν, ζωτικῶν, κινητικῶν, αἰσθητικῶν, ἡγεμονικῶν, eiusque beneficio solus inter animantia diuinitatis fit particeps; caue tamen credas diuinæ particulam auræ; tota in toto est etiamnùm in minimis quas informat particulis, suis instructa facultatibus, quarum ministerio ita gaudet; vt eas suæ essentiæ comites indiuiduas, reipsa per actus & obiecta distinctas iugi influxu profundat.



ACRAM Palladis arcem facultates ἡγεμονικαὶ sedibus nequaquam disclusæ occuparunt, hæ suæ originis minimè immemores nonnisi spiritus interiecti nexu cum materia communionem sibi conciliarunt, qui vtriusque extremi quodammodo particeps potentias spiritales cum organis corporeis copulat; spiritus omnis, corpus est æthereum, caloris, facultatumque sedes, & vinculum, primumque functionis instrumentum: animalis quo temperatior, subtilior, splendidior, tranquillior, copiosior, perficiendis animi functionibus aptior; ipsum siccior fouet temperies, nimia obruit humoris colluuies, tumque phantasmata ἄμορφα, & intellectioni peragendæ minùs idonea; si quoque motus eorundem præcipites sint & confusi necessarium sapientiæ lumen animo nostro eripitur, isque priuatur altissimarum rerum cognoscendarum aptitudine.



T anima rationalis formarum omnium nobilissima omnium vires suo sinu complectitur, sic longè præstantissimas penéque diuinas actiones edit, quibus obeundis peculiarem requirit temperiem, ex qua purissimi tenuissimique producantur spiritus, & admirabiles in animo motus excitentur; Apage Astrologorum ἀποτελέσματα, non à cœlo tantùm Mercuriales viri, sed à varia (si concinnam partium structuram addas) tum cerebri, tum spirituum insitorum & influentium temperie animorum varietas repetenda, sola συμμέτρῳ calori coniuncta siccitas memoriæ & intellectui aptissima, quæ si cuipiam ab ortu aut aliis de causis contigerit, Mercurij sidus satis ei affulserit.



EGNES, somnolentos, stupidos, ἀμύσους, & quibus anima pro sale data est humida tellus generat; altiori situ munita, solisque radiis benigniùs illustrata ingenio acutiores, sapientiores, sensibusque tùm externis tùm internis valentiores: vdo aëre & caliginoso ingenia caligant & torpent, nitente & innubi clarescunt & acuuntur: hinc quod in homine pupilla, in anima ratio, hoc Athenæ fuerunt in Græcia, totque Solones dederunt, Scythia vnum Anacharsim; Qui temperatæ subiiciuntur plagæ vt quinto, & sexto climati non tantùm temperatiores, salubriores, viuaciores; sed fortiores, mitiores & ad disciplinas capessendas aptiores: his heroica ingenia, totiúsque naturæ capacia, sic pro varia aëris spirituumque obscuritate vel puritate animæ essentia pares inter se differunt.



VISQVE suos patitur manes; fœliciter ille ad sapientiam natus qui sicciorem cerebri temperiem nactus est, ξηροτέρου γὰρ ἐγκεφάλου τὸ ἀπέειλον ἐν ταῖς ἐχροαῖς καὶ τὸ τῶν αἰσθήσεων ἀκριβές, hinc spiritus fiunt subtiliores, lucidiores, elemẽto stellarum viciniores, Phantasmata puriora & defæcatiora, sensus perspicaciores; hinc diuinæ mentis agitationes & ἐκπλήξεις, ingenia facili rerum humanarum diuinarumque comprehensione δαιμονιώτερα: quibus causis qui melancholicorum penè supra naturam ingenij dotes, & stupendos Poëtarum αὐτοδιδάκτων afflatus annumerauerit, me iudice non aberrabit à vero.

Ergo splendor siccus animus sapientissimus.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS COLLETET, Parisinus. A. R. S. H. M.DC. XXXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Brayer.
M. Cyprianus Hubault
M. Guido Patin.

M. Iacobus Theuart.
M. Vrbanus Bodineau M. R.
M. Antonius Suart.

M. Dionysius Guerin.
M. Ioannes Riolan, R. M. Med. Prim. & P. R.
M. Ioannes le Mercier.